



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 138. Baji altercationes cum Marnixio Sanct-Aldegondo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](#)

§. CXXXVIII.

Sæcul.XVL

A.C.1578.

*Baji altercationes cum Marnixio**Sanct - Aldegondo.*

Cum hæc contentio fervere cœpisset, *Bajan.* t. I.  
 simul etiam Bajus cum alio quo-<sup>pag. 235.</sup> &  
 dam adversario in arenam descendere<sup>t. 2. p. 204.</sup>  
 cogebatur. Hic erat Philippus Mar-  
 nixius Sanct - Aldegondus Calvinista-  
 rum sectæ addictissimus, qui armis po-  
 tius, quam calamo idoneus ad Bajum  
 plures quæstiones circa S. Paginas, Ec-  
 clesiam, necnon circa hæc verba Christi  
 Domini: *Hoc est Corpus meum* transmi-  
 ferat, ac de Ecclesia sequentes propo-  
 nebat quæstiones. I. *An Ecclesia, ejus-  
 que constitutiones, seu traditiones nullum  
 habeant ἐπιτηπτον aliud, nisi consuetudinem  
 eorum, qui se profitentur Romanam sectari  
 Religionem, quam vocant catholicam?*

II. *An hoc ἐπιτηπτον, si quod aliud est,  
 constet pagina sacrae Scripturæ sola?*

III. *An Ecclesia tribuat auctoritatem  
 verbo Dei, an potius verbum Dei, Ec-  
 clesiæ auctoritatem, atque regulam conferat?*

Insuper alias quæstiones movit circa  
 Eucharistiam, & quidem. I. *An hæc  
 Christi verba, hoc est Corpus meum,  
 contineant propositionem identicam, atque  
 idem significantem, quod: corpus meum  
 est corpus meum? An vero attributum  
 corporis, attribuatur subiecto significato*

per

**Sæcul. XVI.** per pronomen, hoc, tanquam diverso a suo  
A.C. 1578. attributo? II. Et si attribuitur tanquam  
 diverso, an attribuatur substantia, ita, ut  
 hæc verba (hoc est corpus meum) idem  
 significant, atque hoc est substantialiter, ut  
 ita dicam, corpus meum? an potius attri-  
 buatur sacramentaliter, ita, ut ea verba  
 nihil aliud significant, nisi hoc est sacramen-  
 taliter corpus meum, seu, corpus meum  
 dicitur de hoc, quod vobis do, plane ut  
 Sacra menta dicuntur de rebus, quas signifi-  
 cant, & sua institutione demonstrant, quem-  
 admodum Augustinus in libello de Doctrina  
 Christiana docet, Sacra mentum fidei fidem  
 esse, & Sacra mentum corporis corpus, &  
 Sacra mentum fæderis fædus, & Sacra  
 mentum verbi Dei ipsissimum verbum Dei,  
 non quidem substantia, sed usu, institu-  
 tione, representatione, ac significanti-  
 ma ex-  
 hibitione ante oculos fidei.

III. Quo argumento deceatur, vocem  
*EST* in hac circumstantia significare sub-  
 stantialitatem? liceat enim ita loqui.

Ceteræ omnes præfati hæretici que-  
 stiones ferme in idem reincidunt, qui-  
 bus has voces, *hoc*, & *est*, explicari  
 petiit.

*Resp. Bajii*  
*qd Max. t. I.*  
*pag. 239.*

Mota hac controversia Bajus equi-  
 dem propitiam nactus esset occasionem,  
 qua suam eruditionem, necnon suum  
 studium erga Romanæ Ecclesiæ doctri-  
 nam ostendere potuisset: verum Bajus  
 hac

hac occasione pessime utebatur; quippe Marnixio adeo non animi sui cæcitatem depulit, aut illum ad veræ Ecclesiæ finum, prout se jactitabat, revocavit, ut potius per sūi responsi imbecillitatem eundem magis in suo errore firmaret, ac semetipsum difficultatibus implicaret, quæ ejus caussæ plurimum nocebant; quippe quidam ex Ordine Fratrum Minorum nomine Franciscus Horantius huic disputationi sese ingerere cogebatur; cum enim Bajum tunc Lovaniensem Cancellarium Protestantibus vietas manus dedisse cerneret, ipse ejus responcionem aggrediebatur, illamque confutabat, prout in Historiæ progressu memorabimus.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1578.

Ferventibus adhuc hisce altercationibus cum Aldegondo habitis Bajus Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo octavo in Lovaniensi Universitate Defensor privilegiorum nominabatur, atque hoc munere novis etiam honoribus auctus est: porro paulopost nova apologia sententias, quas suis scriptis contra Marnixium inspersit, vindicare nitebatur, simulque die decima nona Julii tractatum suum de communione sub utraque specie perfecit. Fertur quoque, quod tunc suo etiam opusculo de Ecclesia ultimam manum admoverit.

Hist. Eccles. Tom. XLIX. Ii Hi-